

cul isthòc consistere nunc videmur. Ceterum, quamvis auctorum semitis inambulantes illuc nos delatos fateamur, cave tamen aestimes, quasi ne quicquam amplius itineris nostri Dux & Auctor supra laudatus inter eundem nobis suggesserit, quàm quâ ratione vestigia Scriptoribus hanc in rem calcata iterare ac relegere oporteat; aut quò pacto è ruderibus collapsæ antiquitatis recens aliquod idolum, ad exemplar Pythagorici illius, conflare & eximitare valeamus. Industriæ hoc esset opus, non ingenii. Tantum verò abest, ut convasata quædam ex antiquorum monumentis duntaxat Tetractyos fragmenta, è quibus labore nudò, sine ullâ ingenii ope, nostram plasnaverimus, Te præstolari jubeam, ut potiùs hoc quicquid est reparatæ commoditatis, è solâ sagacissimi viri mente sinuve fluxisse, indubitato credas velim. Nec tamen mirabar, cum narrarent Tuæ, illam Te persuasionem induisse, ac si totum hoc computandi negotium apud veteres, præsertim Thraces, dudum inolevisset; WEIGELIUS verò noster Manibus solum illorum id extorsisset, ac sub auras retraxisset: cum & mihi quotidie (quod equidem inter maxima vitæ ac felicitatis monumenta deputo) Ejus latus claudenti ab initiò sic evenisse confitear. Nec poteram aliter, ut qui modestiam Viri rebus ac dogmatibus, quæ ipse adinvenit, anti-

qui-